DE HYDROOPHORO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXIV. M. JULII A. MDCCCXLI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
LUDOVICUS POSENER
VIADRINO - FRANCOFURTENSIS.

Opponentibus:

M. JONAS, med. et chir. Dr.
J. C. HABER, med. et chir. Dd.
G. FRIEDLAENDER, med. et chir. Dd.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

HUMANISSIMO, ILLUSTRI,

CELEBERRIMO

AEMILIO OSANN,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICINAE PROFESSORI PUBL. ORD. IN HAC UNIVERSITATE LITERARIA ET ACADEMIA MEDICO-CHIRURGICA MILITARI, REGI A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS, ORDINIS AQUILAE RUBRAE IN CLASSE TERTIA C. L. EQUITI, INSTITUTI REGII POLICLINICI UNIVERS. FRIDER. GUILELM. DIRECTORI, COLLEGII SUPREMI EXAMINIBUS MEDICIS HABENDIS CONSTITUTI SOCIO, SOCIET. MEDICO-CHIRURGICAE HUFELANDIANAE DIRECTORI, SOCIET. MEDIC. IMPER. VINDOBON., ACAD. NAT. CURIOS. CAESAR. LEOPOLDINO-CAROLINAE, SOCIET. REG. MEDIC. PARISIENS., AL. SODALI ETC. ETC.

FACULTATIS MEDICAE H. T. DECANO SPECTATISSIMO,

PRAECEPTORI ET FAUTORI AD CINERES USQUE COLENDO

NEC NON

FRATRIBUS

AMICISSIMIS, DILECTISSIMIS

JULIO GASPARY,

MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT. APUD BEROLINENSES,

ROBERTO GASPARY,

JOACHIMO POSENER

HUNCCE LIBELLUM

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Morbi, quibus mulieres saepissime fere atque gravissime afficiuntur, sunt organorum genitalium. Quod placitum, quum medicis usu et experientia edoctis satis persuasum sit, tum argumentis aptis et ratiociniis physiologicis admodum comprobari potest. Horum autem praecipuum et maxime luculentum in eo positum esse mihi videtur, quod noxas quascunque ad genitalia summam quodammodo virium formatricium amplexa referri cernimus. Verumenimvero, si ex ratione, quam proxime allegavi, infitias iri non licet, sensibilitatem partium istarum normalem prae ceteris maximam, pro causa morborum interna ducendam esse, et, abundare muliebria momentis, quae vim nocuam in ista aegere valent, externis, concesseris, quum evolutionem pubertatis, menstruationem, conceptionem, graviditatem, partum, puerperium, involutionis periodum perpenderis, quanta scateant perturbationum copia. Nam tantum abest, ut sensibilitatis modus conditionibus illis diminuatur, ut majorem etiam ad gradum evecta potentiis vel levissimis alienari, perversa morbis diversissimis locum dare liceat, unde omnium fere systematum convenientia deleri possit.

Ast quemadmodum mulieris summam continent muliebria, ita primum inter genitalia locum tenent ovaria. Sententia enim eorum, qui primas muliebrium partes agere censent uterum, tam futilis est atque inanis, ut

notionis peritus obliti, quam ex anatome comparativa derivandam viri docti jure meritoque habent, qua uteri ipsius, qua reliquorum corporis organorum dignitatem ex solo volumine aestimasse videantur. Nos imo postquam ovula a Graafio detecta sunt, nec dubitamus, (quod supra jam posuimus) ovariis potissimum generationis negotium attribuere; et libere confitemur, regimen corporis muliebris a conditione illorum, quasi a centro maximopere pendere. Nec desunt profecto res gestae, quibus ut certis exploratisque confisi, quod laudavimus illustrare possimus. Primum autem huc referendae sunt sequelae, quae ovariorum exstirpatione in bestiis facta in conspectum veniunt funestissimae, ex perturbatione consensus profectae, quae omnes inter corporis partes et ovaria interest, nullae exciso utero. Quin menstruatio aeque ac graviditas opinioni istorum obversatur, quum alteram et per alia organa fieri posse exemplis haud ita raris perspicue eluceat, extra uterum confici posse fausto eventu alteram, medici pro experto confirment. Princeps igitur ovarium, subdititium uteri imperium.

Quodsi recentissimis demum temporibus debetur justa ovariorum cognitio anatomica, physiologica, quantis antea tenebris obfuscati sint morbi eorum, facile est collectu. Qui, licet et nunc temporis nondum ad exquisitum illustrationis gradum evecti sint, tantum certe quidem profecerunt simultanea virorum clarissimorum opera, unde fructus vel jam capti sint, vel capiendi adhuc exspectari possint. Huc spectare mihi videtur oophoritis chronica a Claro maxime enucleata (1), dein hydrops

(1) Annalen des klinischen Instituts in Leipzig. Bd, I. Abtheil. 2, S. 194.

ovarii profluens a Blasio (2) accuratius perscrutatus, denique tumores ovariorum summo cum mentis acumine a viris celeberrimis inquisiti et per ordinem certum dispositi, id quod diagnosi et curae subsidium est haud exiguum.

Singulorum vero ovarii morborum, ne inflammatione quidem excepta, vel acuta vel chronica, nescio an ullus medico occurrat saepius hydrope, quem eundem alii cuiquam, ratione habita utilitatis ex studio accuratissimo in usum practicum capiendae, postponendum esse negaverim. Etenim frequentissimis exemplis liquide apparet, diagnosi ejus quam plurimis difficultatibus implicata, errores curationis facile fieri posse tristissimos. Ergo, rationibus omnibus illis perspectis nihil antiquius habeo, quam ut commentationem tradam de hydroario uberiorem eamque inquisitionibus novissimis innixam.

Caput I. INDOLES ANATOMICA HYDROARII.

Ovarium utcunque recipiendis fluidis hydropicis locum praebet, ovula Graafiana non solum videntur in causa esse, sed ipsa ut receptacula congeriei plerumque inserviunt. Quae sententia quamvis multis inter medicos certaminibus occasionem dederit, alteris in interstitia stromatis prima serositatis vestigia deponi auctoribus, in nostram sententiam abeuntibus alteris, tamen rarissime vix ex illis fieri hydropem verisimile et argumentis infra citandis consentaneum est.

Itaque nostrum est, argumenta afferre, unde existimatio a nobis aliena devinci possit. Primum autem atque certissimum inde derivandum arbitramur, quod vis vitalis summam quodammodo inter reliquas ovarii par-

---

(1) Commentatio de hydrope ovariorum profluente, Halae 34,

tes inesse ovulis eaque hac ipsa de causa maximam irritationis aut sanae aut abnormis partem capere, quum physiologiae ope edocti, tum experientia confirmati sumus. Irritationis autem statum diversum, conditionibus, temporibus diversis inhaerere ovulis summo jure de formatione contendisse nobis videmur corporum luteorum integra adhuc virginitate, ulla vixdum pubertate. Quin abscessus illi et multi et parvi, qui inflammatione ovariorum effici solent, transformatio ovulorum, qua massa cruenta, fusca vel purulenta replentur, ovula ad volumen justo majus tumefacta, magnam eorum alienationes quaslibet ineundi propensitatem luculenter exhibent. Eadem igitur nonne et hydropis opportunitas iis concedenda est? An non major etiam illius potissimum conditionis morbosae facultas jam pro structura anatomica attributa iis videtur?

Jam vero, quum ex analogia declarari possit, et naturae ovulorum haud discrepet affectio hydropica, praesidium placiti nostri alterum neque ita spernendum a documentis proficiscitur, quae anatome pathologica nobis offeruntur. Adsunt enim in ovariis hydropicis cystides aut complures inter sese segregatae, (quae species nomine: hydrops cellulosus designatur) aut una eaque voluminosa, aut denique multae ab una comprehensae, quae nuclei instar cellularum affixae parietibus cystidis maternae insertae apparent. Utraque species hydropis cystici seu saccati nomine comprehenditur. Quae singulae cystidum formae, etsi sententiae nostrae minus favere videntur, nedum nos terreant, ad majorem etiam tenacitatem nos stimulaverunt, utpote quae ex iis, quae nos fieri accepimus, intelligi possint facili negotio. Etenim ut prima colluvies collecta sit in ovulis, aut, summotis partibus vicinis ad certum quendam gradum

accrescunt, primum cystidum, quas supra enumeravimus speciem efformatura, aut, resorptis septis singulorum contiguis, inter sese conjuncta uni illi cystidi originem praebent, aut tertia denique species exoritur, quum singulae tantum conjunctionis illius participes fiunt. Quibus in rebus describendis plane naturam nos secutos esse, conjecturam quamcunque aspernatos, praeparatis anatomicis nobis persuasum est, quae Blundell (1) varias cystidum evolutionis expressurus commemorat.

Sin, neglectis, quae adhuc feci, verbis, nihilominus dubitaverit quisquam, ovula pro prima hydropis sede existimare, constitutione serositatis cystide singula amplexae a solita penitus diversa, funditus devictum iri, nostro jure speramus. Jam vero quum omnes hac de re auctores tum Hamilton (2) singularem hujus liquoris indolem eam observabat, ut retrimento coffeae similem, fuscum admodum spissum, variis quandoque receptaculis varium eum describeret (3). Vel mihi ipsi occasio jam compluries data est, quam liquoris illius naturam scriptores tradiderunt eam cernendi, id quod apud aegrotam imprimis mihi contigit, quae auspiciis Truestedtii illustrissimi paracentesi curata est. Decem hinc mensurae evacuatae sunt liquoris, qui infuso coffeae tostae cum lacte mixto simillimus, sub finem exinanitionis liquore oleoso superficiei massae reliquae innatante ob-

---

(1) Blundell: observations on some of the more important diseases of Women. London 1837. S. 105.

(2) Hamilton: Practical observations on various subjects relating to midwifery. Edinburgh 1836. Pars I. pag. 87.

(3) Secundum analysin via chemica a Fontanelle factam, (Traité théor. et prat. des maladies des femmes par I. Imbert pag. 1751) ex fibrina, gelatina, albumine, Natro phosph. et Natro muriat. compositus est.

tegebatur lucido, cremori lacteo aequo, ita, ut cum pure bono ac laudabili facillime comparari posset. Neque tamen unquam aut febri hectica correptam se questa est, id quod tanta materiae puriformis copia (mensur. 2—3) exspectari poterat, aut inflammationis peracutae in medium prodita sint symptomata, unde abscessus in parietibus ovarii conjici posset.

Quodsi singularitatem liquoris hydroario innati conferimus cum corporibus luteis, facere non possumus, quin utrumque ab eodem organo effectum conjiciamus, dico ab ovulis Graafianis. Hydrops enim si tantummodo interstitialis stromatis esset, serositas cur aliis facultatibus praedita esset ac solita oedematosa, percipi satis mehercle non posset. Nonnulli quidem fuerunt, qui peculiarem illius temperiem ex putrefactione declaratam vellent, quam subire diu moratam arbitrati sunt. Attamen quod opinionem istorum memoria vix dignam reddit, ea est totius fere corporis integritas, nequaquam ita laesa ac esse debebat ex fluido decomposito in corpus incluso, quum vix aliis quibusdam molestiis aegrotae hujuscemodi primis stadiis morbi cruciantur quam pondere sacci interdum enormi. Sed physicis etiam chemicisque proprietatibus caret, quibus putrefieri fluidum aliquod colligere solemus, verbi causa foetore, gaso Ammoniaco etc.

At ea quoque liquoris, de quo sermo est, constitutio nonnunquam observata est, ut nigresceret atramento haud dissimilis, quae varietas nomine »Melanosis ovarii« indita esse solet, copia ejus aut eadem aut majore etiam quam supra enarrata est a morbi initio usque ad finem ita interdum adaucta, ut mensuras 10 — 25 expleat.

Copia liquoris in genere cum expansione congrua, ovarium dimidium ultra circuitum fere non extenditur, dum modicum gradum obtinet; summum vero evolutio-

nis fastigium adeptum totum abdominis cavum replet, visceribus reliquis distortis, ita ut alterum ventris latus attingat. Quem ambitus gradum ubi assecutum est, saepenumero cum partibus propinquis coalescit, verbi causa cum peritonaeo, vesica urinaria, intestino recto. Tuba Fallopii autem, quum connascendi locum dedit, ejusmodi, ut fluidum initio receptum ab ovario, in tubam transire posset, tum e vagina emanare solet, quae morbi varietas a Blasio primo observata, nomine »Hydrops ovarii profluens» ornata, paullo post fusius commemorabitur. Plerumque adhaesiones hujuscemodi desiderantur, quo fit, ut ovarium manubrio satis tenui insidens appareat, alienationibus structurae voluminisque nihilominus gravissimis (1).

Species hydropis externa, inaequalis, salebrosa, segmenta aliquot sphaerica aequiparat, quibus concrementa quandoque cartilaginea vel fibrosa intexta sunt, dum interna saccorum hydropicorum facies formationibus ornata esse solet, quae, utrum scirrhi naturam ostendant nec ne, nescius, a Burns cotyledonibus in utero ruminantium obviis collata esse memini.

Altera hydropis species, qui superioribus rarius observatur, est Hydrops hydatigenosus. Hic enim constat ex corporibus aut intra substantiam aut ad faciem externam ovarii efformatis vita propria praeditis. Quae hydatides tantum abest, ut pro degenerata ovarii parte aliqua haberi possint, ut suas degendi leges secutae, a milii magnitudine usque ad nucem haud raro adolescant, in Entozoorum classem referendae, Echinococco generi obnoxiae.

---

(1) Guilbert. Journal de médécine. Février 1757. p. 147.

Caput II. SYMPTOMATOLOGIA, DECURSUS, EXITUS.

Distinctio trium, quas enumeravimus, hydropis specierum (H. cellulosus, cysticus, hydatigenosus) symptomatibus constituta, licet maxime sit optanda ei curationi, quae operatione cruenta aliqua morbum fugatura est, adhuc tamen minime contigit durante vita, symptomatibus singularum fere aequis ac iisdem. Quin signa, quae Hydroario in genere sint cognoscendo, tam incerta sunt et indefinita, ut nullum eorum dici possit pathognomonicum; imo fere omnia aliarum quoque conditionum tam facile haberi possunt propria, ut, dum copia eorum vix enumeranda videbatur, egentissimi nos appareamus notarum valde necessariarum.

Prima morbi, de quo agimus, stadia fere non animadvertuntur aegrotae vixdum nota, siquidem magna cum assiduitate corporis habitum et figuram perquirere solet, aut medico alias fortuito abdominis conditiones exploraturo. Sin hac ratione labem illam detegi licet, tumor sentitur vaginam inter et rectum obvius, magnitudine valdopere varia, qui uterum reclinatum deorsum, ad latus aegrotum ita detrahit, ut collum uteri loco solito inferiori, situ obliquo inveniatur, orificio ad sanum latus directo. Una tamen cum mechanico tumoris effectu, irritationis signa laesaeque functionis partium vicinarum in conspectum veniunt, quorum in numero sunt imprimis dysuria, tenesmus, menstruatio anomala, leucorrhoea, torpor, mobilitas diminuta femoris a pressione oriunda plexus sacralis, qui femori lateris affecti attribuitur, varia omnino et diversa pro ambitu et pondere ovarii aliis temporibus alio. Fluctuationem vero non percipias, nisi per vaginam vel intestinum rectum eam

investigaveris. Symptomatibus, quae dicuntur hydropis generalia initio morbi perquam carent aegrotae; secretionum enim quum omnium tum urinae paucitas fere nulla, nisi quandoque excretio impedita est via mechanica; appetentia ciborum consueta, digestio laudabilis, color faciei haud ita cachecticus, oedema pedis lateris affecti rarissimum. Quae vero signa vocantur subjectiva, iis ut minime constantibus ne majorem fidem habeamus, usu quotidiano monemur.

Crescente tumore pariter molestiae aegrotorum augentur. Difficultas mingendi saepe fit tanta, ut per annos nonnullos urinam emittere nequeant nisi ope catheteris; alvus tamen, quamquam quotidie non solubilis, haud ita magnam obstructionis pertinacitatem servat. Catamenia ex diversissimis generatim perturbationum rationibus mutata aut perpetua profluunt, aut certis quibusdam temporum intervallis intercepta, aut plane suppressa sunt. Ovarium, quod sensim ad altiorem abdominis regionem ascendit, tactui medici sensationem praebiturum tumoris frigidi, fluctuantis, vel gibbosi, mobile est, doloris plerumque expers. Neque desunt tamen aegrotarum labores et ipsis et medico ingratissimi, qui etsi initio hystericorum tantum imaginem prae se ferunt, in contumacissimam tamen epilepsiam paullatim progrediuntur.

Symptomata hucusque pronuntiata partim alios auctores secutus retuli, partim ipse vidi in aegrota, quam curandi auspiciis celeberrimi Osann copia mihi facta est. Cruciabatur enim doloribus regionem sacralem perstringentibus, labores ad partum, qui dicuntur, interdum simulantibus, vomituritione, vomitu, cardialgia, colica flatulenta, dyspepsia, dyspnoea, qua situm inter horizontalem potissimum vexatum se querebatur. Memoria di-

gnissima sunt denique qui saepenumero in affectionibus hujuscemodi mammarum apparent tumores, dolores lancinantes, iis simillimi, qui inter graviditatem occurrunt.

Ad summum gradum quum primum intumuit ovarium, tum, pressione in magna illa abdominis vasa sanguifera effecta, producit Anasarcam, Ascitem, Hydrothoracem, qui hydrops universalis aeque ac febris hectica et virium consumtio mortem inferunt tandem aliquando.

Hydrops ovariorum profluens, cujus supra mentionem feci, a Percival, Elliotson, Mad. Boivin, Hellmann, Blasio adhuc observati, eo solum modo discrepat ab iis, quae antea enarravi, quod massae mucosae, sanguinolentae, viscidae magno cum aegrotarum levamine per vaginam excernuntur.

Decursus morbi, qui nullis omnino nec temporis nec aliarum conditionum legibus adstrictus esse solet, unam hujus trifariae variationis viam fere sequitur. Morbus enim aut tam celeriter accrescit, ut, mensibus aliquot interjectis, ad summum evolutionis cacumen evectus sit, aut magna cum velocitate initio quidem procedit, subito tamen qua cessatura, ut paucis annis post, refectis quodammodo viribus, efferendas curet aegrotas quam rapidissime perditas, qua desitura in sempiternum, sanitate mulierum fere non afflicta, aut diuturno denique temporis spatio protracto lente et regulariter progressus secum conficit aegrotam.

Inter exitus morbi consuetus et frequentissimus est lethalis, ab hydrope universali et febri hectica oriundus. Sin cystis ita dilatatur et attenuatur, ut liquori sustinendo impar fiat, ruptura ejus existit aut letifera aut salubris. Quemadmodum autem morbi decursus medicum omnino latet, ita ruptura ista, solito quidem funesta, faustum quandoque praeter exspectationem affert

morbi eventum. Casus hujuscemodi complures prodidit **Blundell** (l. c.), vir maxima fide dignus. Ictu enim aut alia quadam ratione, ovarium hydropicum diruptum, quod continuit, in cavum abdominis effudit, unde, aegrotae nedum demorerentur, serositate resorpta et urinae ope ejecta integram potius valetudinem recuperarent. Auctor ille generatim, ubicunque hydrops ovarii paullatim sine ullo momento externo evanescit, ea est sententia, ut fluida resorberi, postquam in cavum abdominis destillaverunt, arbitretur.

Alii auctores per fistulas in vel circa umbilicum aut anum apertas, aut ex intestino crasso vel recto cum cystide connato et exulcerato fluida ista promanasse enarrant; nec a vero alienum est, quod profluvium in hydrope ovarii profluente fit, ex vagina idem a cystide cum tuba coalescente et posthac rupta derivandum esse. Et mirabile dictu per vomitum sunt nonnulli, qui liquorem hydropicum, ovario cum ventriculo connato remotum argutantur, id quod, num re vera evenerit, facere non possumus, quin paululum addubitemus. Sermunculos vero, qui perturbatione animi, veluti terrore repente suborto, timore subito injecto, gaudio nimio disparuisse fabulantur hydropem ovarii, summo jure in rumorum classem ejecisse nobis videmur, confusionis hydroarii cum tumoribus abdominis flatulentis, hystericis incusandos rati, quicunque motu animi quodam, stimulo in hystericarum alvum atonicam certe quidem validissimo, difflari quodammodo opinantur liquorem hydropicum.

Praesagium de morbi exitu, quanta verborum, conditionum cautione proferendum sit a medico subsidiorum in constituenda prognosi nimis inopi, quum facile est intellectu, tum mala omnino esse morbi, de quo agimus auspicia, experientia consulti auctores quilibet noverunt.

Caput III. DIAGNOSIS.

Tam multi exstant morbi, quorum symptomatibus hydropi simillimis medicus ad errores diagnosticos et curae rationes valdopere castigandas perpelli possit, ut quibus singuli dignoscantur principiis tradere certe non supervacaneum videatur. Imprimis autem sunt commemorandi hi:

1) Ascites. Quae sejungendo inserviant ascitae a Hydroario signa ea a percussione abdominali pendent potissimum. In ascite enim sonus, dum aegrota reclinato corpore in cubiculo quiescit, abdominis lateralis aquatilis (sit venia verbo), in summo ventre tympaniticus, quum in hydrope ovarii, aeque ac in quolibet hydrope saccato, sonus intestinalis elicitur lateribus abdominis, summo ventri aquatilis. Dein hydrope ascite fluctuatio auditur majore cum facilitate et superficie abdominis vix attacta; tumor abdominalis diffusior, situ corporis erecto demittitur. Cachexia denique hydropica multo prius sequi solet affectiones vel praesente jam ascite quandoque cognitas hepatis, lienis, cordis, aliarum partium, siquidem ascitem, ut proximam earum sequelam, efficere valent. Verumenimvero libere fateamur, nulla eorum quae laudavimus signa non esse fallacia, quippe quae fluctuatio et in Hydroario facillima sit perceptu, et symptomata morbi aut cordis aut hepatis addititia a certa et recta diagnosi medicum deflectere possint. Itaque Hamilton paracentesin exploratoriam suscipiendam suadet, indole liquoris evacuati speciem morbi confirmaturus. Quod consilium utrum capiendum sit necne, in expositione de cura morbi facienda uberius tractabimus.

2) Graviditatem hydroarii symptomata tantopere simulare possunt, ut diagnosis certa, conditionibus

quibusdam obviis, nequaquam constitui liceat, quae res eo intricatior fit, quo pluribus exemplis docemur, graviditatis et ovarii hydropici unius scilicet decursum coaetaneum esse quandoque. Communia utriusque symptomata sunt: tumor abdominalis, per lacunar vaginae mobile, uterus commutatus, affectiones mammarum, menses anomalae, gastroataxia, vomitus etc. Discriminatio autem utriusque status fidissima de mutationibus promitur singularum uteri gravidi partium iisque ad certa temporum intervalla dispositis, regularibus, constantissimis et comparatione earum cum habitu uteri, qualis ex hydroario provocatur solito. Hocce vero diagnosis adjumentum noli negligere, quum mutationes uteri graviditati obnoxias neutiquam effici ovario hydropico tum collum uteri in hydroario ab axi pelvis nullo non tempore declinatum esse. Antecellit dein graviditati hydrops ovarii incremento tumoris laterali, tardiori, superficie hinc inde inaequali, tuberosa. Desunt denique, ubicunque ovarium hydrope correptum est (nec una utero gravido) motus foetales mulieribus, simodo antea jam enixae erant, bene noti et ictus cordis foetalis, qui serioribus graviditatis mensibus a medico auscultari solet. Quae conditionis utriusque differentiae, licet jam singulae dubitationi cuique dijudicandae sufficere videantur, nihilominus medici uno ore contestantur omnes, cunctas vix qua ratione supra commendavi, per menses aliquot observatas fulcra tam firma suppeditare, quibus nihil unquam haesitaremus. Hydroario vero a graviditate extrauterina certo dignoscendo nihil aliud suppetit nisi exspectare, decem mensibus interjectis, utrum utero contracto, membrana decidua propulsa, exitus graviditatis extrauterinae consueti, ut formatio lithopaedii, remotio rudimentorum foetalium per vias alienas facta etc., appareant, an non

molestiis, fine malorum frustra exspectato, aegrotae magis in dies graventur.

3) Tumores spurii mulierum hystericarum profecti aut ex collectis faecibus vel flatibus, constrictionibus spasticis ovario hydropico tam similes sunt nonnunquam, ut aliquamdiu de natura eorum haereamus. Attamen, vel omisso habitu hysterico, qui hydroario laborantibus non deesse solet, tempore aliquo praeterlapso, usu medicaminum antihystericorum, carminativorum, resolventium, nervinorum, antispasticorum inopinato faustissimo, observatione aegrotarum quam maxime assidua de diagnosi morbi docemur luculenter.

4) Hydrometra, quae profluvio per vaginam obvio cum Hydrope ovarii profluente facile confundi potest a medicis obiter inquirentibus, hisce discrepat differentiis. Tumor, qui est hydrometra, medium ventrem tenere solet; ovarium hydropicum lateralem; portio uteri vaginalis, hydrometra praesente ad normam collocata quidem, ita tamen attenuata et distenta est, ut fluctuatio aquae facili negotio, digito pulsante sentiri possit. Contra in Hydroario indoles portionis vaginalis naturalis, situ simul abnormi.

5) Scirrhus et fungus ovarii a hydrope ejusdem organi dividi posse dicitur, duritie tumoris, inopia fluctuationis, vehementioribus doloribus, habitu magis et prius cachectico. Quo in judicio ferendo nunquam obliviscendum est, hydropem cum scirrho, vel fungo saepius esse conjunctum.

6) Tumores aliorum abdominis organorum verbi causa mesenterii, quin scirrhus pylori (Hamilton l. c.) haud raro locum dederunt confusionis cum hydroario. Quae res, etsi incredibilis fere initio apparet, veritati nihilominus plane respondere concedet, quicunque dislocationes partium singularum tum ingentes morbis

hujuscemodi provocatas vidit, ut conclusio de sede morbi ex situ organorum solito facta irrita redderetur sectione cadaveris. Quandoquidem igitur medicos alioquin laude dignissimos et celebratissimos reos fuisse interdum errorum hunc in numerum habendorum, non negandum est, equidem a regulis hac de re theoreticis abstinere malo, quam quae sana esse omnino principia ipse intellexi, temere repetere.

7) Tumores ovarii ex inflammatione acuta prodeuntes, abscessus, etc. ratione temporis ad efformationem eorum necessarii, symptomatum, quae morbos hujus naturae comitari necesse est, tam exacte separati sunt ab hydrope ovarii, ut enumeratio differentiarum certe inutilis esset.

Caput IV. AETIOLOGIA.

Causarum ratio, quae cur et quibus auxiliis Hydropi potissimum conflictetur ovarium in lucem proferant, ab omnibus hac de re auctoribus nimis neglecta est, non quo nescirent causalium principiorum gravitatem, sed quia tenebras ignorantiae veteris ne discuterent quasi verebantur. Plerique eorum satisfecisse se rati votis quibuscunque, momenta aliquot recensuerunt, quae hydroario contemporanea vicem causalium agere fortasse suspicati, conjecturas valde ambiguas, certis, quarum fundamenta anatomes et physiologiae ope jacta sunt, praetulerunt conclusionibus. Quae ita quum sese habeant, equidem conabor, num pomoeria aetiologica prolaturus ad secretiora penetrare mihi contigerit, dum quoad originem hydropis generalem perquam acutissimis Henlei (1) sententiis assentio. Vir enim ille per

(1) Henle über Wassersucht in Hufeland's Journal 1840. V. S. 3.

totum medicorum orbem celebrandus documentis et anatomicis et physiologicis confirmavit aut spissitudinem sanguinis diminutam (Hydrops e causa universali) aut auctam vasorum porositatem aut ambas denique noxas pro causa hydropis interna ducendas esse.

Quo commentario, quamvis generalia cujusque fere hydropis primordia satis perspici possint, tamen silentio non praetereundum est, differentiam illam, quae inter varios exstat liquores hydropicos haud exiguam et chemicam et physicam a diversa hydropis causa pariter pendere, ac convenire inter eos cum singulari organi hydropici constitutione et temperie, qua sana qua perversa patefactum est dilucide. Unde fit, ut quae hydrope producta deponantur, ea summum quandoque praebere concentum cum iis, quae normali organorum secretione protrudi solent (1).

Jam absoluta, quantum fieri potuit, aetiologia hydropis generali, quae speciatim ut indagemus, nostra interest, perlustraturi sumus causas in disponentium genus et occasionalium divisas nec non revocatas ad generalia, quibus usi sumus principia.

I. Causae disponentes.

1) Conditiones, in quibus versantur organa sexualia, ubi ad pubertatem vel maturitatem vel decrementum venerunt, summam prae omnibus opportunitatem hydropis continere videntur. Namque ante puberes annos quum adhuc nondum observatus sit, haud immerito conjiciendum est, nocua ad genitalia non referri, priusquam functiones sexuales agere inceperint. Neque tamen rarius unquam excandescit quam aetate vitae florida, dum frequentissimus fere est paullo ante vel post decrepidi-

---

(1) Canstatt: Handbuch der medicinischen Klinik. Erlangen 1841. 1r Band. S. 141.

tatem peractam. Mensium fines, quam hanc in rem vim exserant, posthac perscrutabimur.

2) Krasis humorum prava, scrophulosa potissimum, quam medici Angli tanti aestimant, ut nullum omnino Hydroarium e Scrophulosi non profectum esse contendant. Quod licet experientiae parum congruat, quam cui assentire audeamus efficacissimas tamen conditiones suppeditari posse a scrophulosi concedes, si depravatam non solum humorum mistionem, sed etiam tonum partium solidarum et vasorum potissimum justo minorem animo pervolveris.

3) Constitutio hysterica, quam hydropis pariendi fautricem esse dicunt nonnulli, nullo jure facultatem hujuscemodi arrogasse sibi videtur. Nam tumores isti ovariorum hydropici, in dissecandis cadaveribus haud raro reperti mulierum, quae malum hystericum inter vitam perpessi erant, nihil fere valent in favorem sententiae illius. Contra nos a partibus illorum stamus, qui censent, aut originem ducere simultaneam ex erethismo systematis uterini primario morbum utrumque, aut symptomata hysterica pressione demum effici tumoris hydropici in plexus nervi sympathici abdominales, id quod in symptomatologia jam delineavimus.

II. Causae occasionales.

1) Suppressio mensium, quam sanguinis in organis genitalibus potissimum collecti congestionem et stasin sequi verisimile est. Quodsi parietes vasorum nimia ejus multitudine distenduntur, fieri non potest, quin permeabilitatem assecuti majorem, sero, cui jam statu solito non invii sunt, transsudare liceat. Alterum vero momentum, quod ad exsudandi facultatem augendam haud parum conducit, ea est retentio sanguinis, qui fibrinae perquam expers serositate exaggerata transsudationem sublevat.

2) Partus vel abortus nimis frequentes debilitatem vel paralysin suscitando valent nervorum, qui genitalibus praesunt, quum omnium tum organicorum; unde congestio et hydrops oriatur. Eundem effectum metrorrhagiae exercent, quippe quae non solum atoniam vasorum adducant, sed quod etiam sanguis magis inde liquefiat.

3) Coitus frequentissimus et manustupratio magnum hydropis oriundi exhibent auxilium. Quae sententia eo praecipue nititur, quod virgines sacrae fere ubique, meretrices autem tum potissimum hydroario corripiuntur, quum morbis aliis aut in carcerem conjectae, ne quaestum faciant, arcentur (1). Noxas vero hasce pares esse tono organorum genitalium et vasorum imprimis remittendo, effectusque eorum, ubicunque spasmus vasorum irritationi continuae isti obnoxius solvitur, in conspectum venire liquide patet.

4) Alii ovariorum morbi, quorum in numero ante omnia habenda est oophoritis chronica, scirrhus, fungus etc., inhibito partim circulo sanguinis in organo affecto, partim cacochymia vel antecedente vel sequente, hydropi locum largiuntur.

5) Injuriae via mechanica ovariis illatae, verbi causa ictus vel plagae iis inflictae, distorsiones vel laesiones inter partum haud raro ab auxiliantibus iis injunctae, eae sunt profecto, ut morbum aut alium quendam hydropis futuri causam, aut, tono vasorum sublato, ipsum hydropem excitent.

Numerosae igitur exstant causae hydroarii occasionales; neque eo minus persaepe vel accuratissimo aegrotarum examine ne ulla quidem earum innotescit. Qua fit praeteritorum ignorantia ut morbi, quibus auxiliis sensim evolutus sit, plane ignaros nos manere doleamus.

---

(1) Sprengel's Pathologie, Theil 3, §. 654.

Ceterum iis, quae supra diximus adjiciendum est,

1) hydroarium saepe cum scirrho vel uteri vel ovarii conjunctum esse,

2) morbum ovarii alterius propagari quandoque in alterum,

3) sinistrum ovarium prima morbi vestigia ostendere solitum esse.

Cap. V. CURATIO.

Quo tempore aegrotae hujus generis medicis curandas se tradere solent, eodem sanationis spes nulla fere superest. Faustus enim curae successus omnino exspectari non potest, nisi hydroarii prima initia pro certo cognita apte curantur. Sin eo evolutionis jam pervenit, ut aegrotae molestum medico perspicuum fiat, tum de quibuslibet remediis quamquam commendatissimis desperandum et cura symptomatica aerumnis aegrotarum levandis instituenda est.

Itaque lex est praecipua, qua medicus quilibet curando hydroario deditus teneatur, ut quaecunque capiat consilia, secundum stadium morbi dirigat. Morbus igitur, quum primum vixdum evolutionis gradum excedit, causis medico plane luculentis, iisque per breve vixdum tempus infensis, tum indicationi causali responderi necesse est usu emmenagogorum, antaphrodisiacorum, antiphlogisticorum, aliis omnino pro alia causarum indole et natura.

Sin paullo diutius hydrops jam duravit, summopere quidem nondum extensus, neque causis ejus non obscuris, tum ad morbum ipsum depugnandum nulla mora remedia praecipienda sunt. Quorum copia quum sit fere innumerabilis, laudatissima solum recensenda et suo quodque loco eligendum arbitror.

1) D i u r e t i c a nullum aegrotis hujus generis emo-

lumentum vel commodum afferre valent. Nam hydrops saccatus tantum abest, ut unquam medicaminibus evacuantibus removeatur, ut diureticis in usum vocatis molestias aegrotarum augeri oporteat. Secretio enim urinae in hydroario nunquam retardata est, nisi forte impedimentis via mechanica efficacibus. At num diureticis ista repelluntur? An non magis verisimile est, stranguriam jam sponte nimis frequentem et ingratam inde adauctum iri?

2) Emetica ea mente, ut resorptionem fortiter excitent, Seymour (1) quidem maximi facit, attamen bonum eorum successum se ipsum non expertum esse confessus, quem a Percival (2) enarratum legerit tumorem abdominis (hydroarium num revera fuerit nescius) vomitu aquae plurimae spontaneo sanatum, ei soli confisus est. Sed res gesta illa tam singulariter audit, ut fundamentum principiorum, ex quibus cura instituatur, nullo modo jaci possit. Praeterea non negligendum est, emetica ad indicationem haud ita idoneam saepe repeti non posse, quin periculum afferant aliquod. Nam non solum ea sunt, ut congestione cerebrum versus effecta, inflammationem provocent, sed etiam digestionem sensim valde alienant et effeminant, id quod medicus viribus aegrotorum prospecturus in chronicis potissimum morbis cautissime arceat.

3) Purgantia et carminativa, hinc inde parca manu ordinata flatus haud raro accumulatos propellunt quidem, sanare hydropem nequeunt.

4) Jodi usus internus nihil adhuc profecit comme-

---

(1) Edward Seymour. Illustration of the principal diseases of the ovaria, their symptoms and treatment. London 1830.

(2) Percival essays. Vol. I. pag. 375.

moratu digni, quod idem fere de reliquis remediis alterantibus v. g. de mercurialibus vel antimonialibus, de decoctis lignorum etc. contendi licet, cum effectus eorum a secretionibus incitatis plerumque pendeat.

5) Hamilton quam curandi rationem secutus est, ea quae animadvertatur prae reliquis digna videtur. Nam non solum propter felicem, quem auctor assecutum se affirmat, eventum in malo aegrotarum aliquot debellando, commendatione dignissima est, sed etiam operae pretium est usus ejus ob remediorum adhibitorum indolem satis innocuam certe facile repetendus. Summa curae illius ex hisce singulis praeceptis instituenda est.

a) Tumor abdominis apparatu ligamentoso apte apposito firmiter comprimatur.

b) Coelo sereno aegrotae inambulent quotidie per complures horas, de colo neant jove iniquo.

c) Tumor tempore matutino et vespertino per dimidiam horam depsatur aut digitis aut certo quodam instrumento.

d) Lavetur aegrota balneis quotidianis tepidis per quadrantem fere horae.

e) Medicina pro interno usu praescribatur calcaria muriatica in multa aqua soluta, Tincturae Radicis Colombo addito pauxillo, si forte dyspepsia laboret aegra.

Formula ista ad nostras medicamenti praescribendi leges revocata haec:

℞ Calcar. muriat. ʒj
Solve in
Aq. destill. ℥j
adde
Tinct. Rad. Colomb. ʒj
M. D. S. bis per diem gutt. XXX.

Singula curae hujus auxilia per mensium aliquot

spatium continuentur et functiones corporis omnes interea ad normam temperandae sunt.

6) Most (1) mixturam hancce praedicat, cujus usu rem ter bene cessisse accenset:

℞ Extr. Cicutae ʒj
Extr. Belladonn. ʒß
Aquae Laurocer. ℥jß
Tinct. Digital. simpl. ℥ß
Vini stibiat. ʒijß
M. D. S. ter per diem gutt. XXV—L.

7) Venaesectio et detractio sanguinis localis instituenda est, ubicunque cystidem inflammatione correptam esse symptomatibus elucet, doloribus igitur vehementioribus, cuti supra ovarium justo calidiore, pulsu frequentiore et parvo. Haec enim symptomata indicant, inflammationem obortam cum peritonaeo communicatum iri, id quod ne fiat cura strenue antiphlogistica arcendum est. Venaesectione in tempus instituta pulsus redditur major, diminutis una doloribus et dysphoria. Mira autem, quae ante venam incisam exstat quandoque pulsus parvitas et debilitas, nec vetat missionem sanguinis et modus ejus ex augmento pulsus decernendus est. Quin sunt exempla nonnulla, quibus tumores ovariorum post sublatas inflammationes adventitias penitus disparuisse docemur.

8) Unguenta mercurialia vel jodata tumoribus saepe inuncta plus nonnunquam praestiterunt quam medicamenta eadem interne sumpta. Quod utrum expedita humorum stasi, an (quod difficilius etiam comprobatu) resorbendi vim in vasis lymphaticis stimulando fiat, nos dijudicare non possumus.

9) Balnea salina aegrotis aliquot profuisse omniaque thermae Carolinae superasse feruntur. Attamen hydrops ovarii an alii ejus tumores vel indurationes adfuerint, in eo quaestionis cardo semper versatur.

Tantam autem magnitudinem, ubi malum, de quo agimus, assecutum est, ut ambitus tumoris caput infantis excedat, fluctuatio facili negotio percipi possit, euphoria universalis valdopere jam perturbata sit, tum quivis conatus curae radicalis non solum inutilis est

(1) Encyclopaedie der gesammten medicinischen und chirurgischen Praxis, Leipzig 1837.

sed etiam noxius. Hydrops ovarii hac in re reliqua mala abdominis inveterata plane adaequat, quod nullum eorum curatione medica vehementer infestari se patitur, quin proverbii, quod est »noli me tangere« medicus meminerit. Tunc temporis igitur summa curae in leniendis symptomatibus constat, quae medicamentis et aptis et levissimis instituenda cystidis rupturam potissimum prohibeat, letiferam plerumque, sanatione inde rarissima. Unum autem est, quo refugere debet medicus rupturam sacci defensurus, labores aegrotarum aliquamdiu levaturus, paracentesis ovarii hydropici.

Operatio ista in rerum conditione supra expressa quamvis maxime necessaria appareat, tamen sunt, qui argumentis et multis nec vanis rejicere eam conati sint. Sunt autem praecipua eorum haec:

1) Constat inter omnes, saccum hydropicum evacuatum denuo semper et quam celerrime fluidis repleri, unde iterum iterumque operandi urget dira necessitas. Quo saepius autem paracentesis iteratur, eo audacius vitam aegrarum periclitamur. Quare fere fit, ut quinta jam vel sexta operationis repetitione ad tumulum perducantur.

2) Saepe ne paracentesi quidem, quod saccus continet hydropicus, exonerari licet, quum indole tam viscida aut gelatinosa esse possit, ut promanare nequeat.

3) Magno, ut plerumque, cystidum numero inter se disjunctarum, evacuatione igitur unius tantum ex operatione, quod levamen aegrotae percipiunt, pro medicaminis vi nimis est exiguum.

4) Operationi peractae succedit saepenumero tam maligna ovarii inflammatio, ut vitae mulierum brevi tempore finis fiat aut ipsa inflammatione acutissima aut febri hectica inevitabili.

5) Tanti interdum sunt varices plexus pampiniformis, ut haemorrhagia a punctione eorum profecta aegrotae internecentur.

Objectacula illa licet plane ad veritatem exstructa sint, paracentesis usum restringere quidem valent, sed futiles sunt operationi proscribendae. Censemus igitur paracentesin nunquam faciendam esse, nisi rerum conditionibus omnibus undique perpensis. Hunc in finem his potissimum quaestionibus respondeamus:

1) Num distincte et facile cognosci possit serositatis collectae fluctuatio?

2) Utrum superficies ovarii, quam tactu medicum

adire licet, si opus est, segmentis et sphaericis et multis interstincta sentiatur nec ne?

3) Hydrops num scirrho adjunctus sit, id quod ex duritie eburnea, alienatione et corruptione partium ovarii vicinarum, doloribus pungentibus lancinantibus admodum probare undeque inflammationis ex punctione consecutivae exitum lethalem exspectari fas est.

4) Molestiisne a pressione organorum et abdominis et pectoris ortis aegrota gravetur tantis, ut paracentesi non facta certo neque ulla mora ei moriendum sit?

5) Mulier hydroario correpta viribus ne tam destituta videatur, ut operationi sustinendae jam impar sit?

6) Sexagenaria sit aegrota an plures fortasse annos jamjam nata, quo tempore Hamilton, vir medicinae practicae maxime gnarus, operationem fieri perquam vetat.

Quod attinet autem ad repletionem post remotum liquorem hydropicum denuo timendam, illa ne deterreamur a paracentesi suscipienda, quippe qui toties eum desiderari non solum quoties observata sit sciamus, sed pro explorato etiam habendum sit, reditum hydropis qua sero demum, qua nullum quandoque factum esse (1).

Paracentesin autem exploratoriam, quam ab Hamilton ad dignoscendum hydroarium et ascitem commendatam supra allegavimus, non committendam esse arbitramur, nisi jussam eandem indicationibus quas laudavimus necessariis, neque usquam ad solam diagnosin confirmandam.

Perficitur paracentesis quum respectis regulis huc spectantibus generalibus, tum diligenti ne velocius evacuetur liquor hydropicus praecautione. Locus punctioni aptissimus igitur is semper habendus est, ubi fluctuatio serositatis imprimis detecta et effluxus ejus facillimus est. Per vaginam autem facere punctionem ovarii, ne imitemur medicos Gallos, quum tumor, pelvi minore propter magnitudinem deserta, attigi per vaginam prodeunti neque possit, et vulneratio vesicae urinariae, intestini recti, vasorum sanguiferorum aut lymphaticorum difficulter vitanda, vitam in discrimen vocare possit medico certe non laetum nec frugiferum.

Incisio integumentorum abdominis et ovarii qua massae gelatinosae per acum tricuspidem non promovendae foras torqueantur nostris temporibus jam dudum repudiata est, quum peritonitis aut suppuratio letifera

---

(1) J. P. Frank, de curandis hominum morbis Lib. VI. 1.

inde elici posse non ignoremus. Neque minus castigandum est consilium tubulum acus tricuspidis post perfectam paracentesin in vulnere relinquendi, aut injectiones faciendi aquae adstringentis vel irritantis, ut cohaesio sacci parietum enascatur, aeque ac dissecta hydrocele. Quae agendi ratio quamvis obiter cernenti jucundissima videatur ad curam, quae radicalis dicitur, efficiendam, experientia tamen dilucide demonstratum est, aut rarissimos aut nullos fructus inde captos esse. Causa autem hujus eventus in degenerationibus posita est superficiem sacci internam investientibus, quarum in describendo tumoris anatomico mentionem fecimus. Illae, ne inflammatione parietes coalescant prohibentes (integritate partium quam maxima inflammationi adhaesivae necessaria), ovario per suppurationem funditus everso febri hectica perdunt aegrotam.

Jam reliquum est, ut de exstirpatione ovariorum hydropicorum paucis disseramus, ut quae ad diversissima chirurgorum certamina copiam dederit per totam annorum centuriam. Operatio illa magna cum quarumlibet conditionum discriminatione perquisita est ab Hevin(1) auctore, quem Lizars, et alii ex periculis novissimis demum temporibus institutis sequuntur omnes ad unum. Posuerunt autem viri illi doctissimi, post studia diligentissime facta exstirpationem ovariorum proscribendam, e chirurgiae finibus ablegandam esse. Sunt vero argumenta, quibus ad judicium illud permoti sunt haecce:

1) Primis morbi stadiis, quibus solis exstirpatio successum laudabilem efficere posset, diagnosis mali praesentis tam incerta est, ut indicationi ovarii exstirpandi nullo modo satisfacere possit.

2) Serioribus morbi temporibus certaque diagnosi, ovarium morbosum saepe tam arcte cohaeret cum partibus vicinis, ut separatio ejus ab illis non contingat.

3) Malum, de quo sermo est, degenerationibus ejusmodi complicatum esse solet, verbi causa cum scirrho aut ovarii aut uteri, ut operatione ista funditus everti nequeat.

4) Operatio ipsa, magna illa, quam efficit fere, sanguinis jactura, impetu mechanico violentissimo, morbis consecutivis valdopere timendis tam periculosa est, ut

---

(2) Behrend: Analekten für Frauenkrankheiten 3. Band Seite 30.

etiamsi per se integritatem penitus restituere possit, laesione sola conficiat aegrotas prius et magis dolorifice, quam morbus ipse. Verumenimvero tenendum est proverbium »Morbum majorem minori debellare chirurgiae finis, ne priore pejorem inferat, caveat peritus chirurgus«.

VITA.

Ego, Ludovicus Posener, Francofurti ad Viadrum natus sum a. MDCCCXV patre Josepho, quem praematura morte mihi ereptum lugeo, matre Mariana e gente Goldberg. Veteri fidei addictus sum. Primis litterarum elementis imbutus, doctrinis, quae in Gymnasiis doceri solent, privatis institutionibus eruditus, mense Septembri anni MDCCCXXXVII Gymnasium, quod Lucaviae floret, petii et examine superato testimonio maturatis instructus, Berolinum me contuli ad hancce litterarum almam sedem frequentandam. Ab Ill. Heffter t. t. rectore magnifico in civium academicorum numerum receptus, ab Ill. Wagner t. t. decano spectabili medicinae studiosis adscriptus sum.

Per quadriennium hisce interfui scholis tam philosophicis quam medicis: Ill. ab Henning de logice et metaphysice, Cel. Turte de physice experimentali, Ill. Mitscherlich de chemia experimentali, Ill. Schultz de historia naturali medica et de botanice, Exp. Isensee de elementis psychologiae et anthropologiae, Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medicinae, Ill. Schlemm de osteologia. Artem cadavera rite secandi Ill. Müller una cum Ill. Schlemm me docuit. Ill. Müller de anatomia et universa corporis humani et speciali organorum sensuum; de physiologia hominis speciali et de physiologia generationis nec non de anatomia comparativa; Ill. Schultz de pathologia generali: Ill. Casper de pathologia et therapia speciali; Ill. Horn de morbis syphiliticis; Cel. Ideler de morbis animi; Cel. Romberg de diagnostice; Exp. Mitscherlich de materia medica; Exp. Isensee de technice diagnostica; Exp. Troschel de arte fascias imponendi. Exercitationes clinicas virorum Ill. et Cel. Osann, Schoenlein, Busch, Juengken, Wolff, Truestedt frequentavi. Quibus omnibus viris honoratissimis optime de me meritis quam maximas habeo et semper habebo gratias.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico absolutis nec non examine rigoroso rite superato, spero fore ut dissertatione et thesibus defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Nervorum actio primaria est caloris causa.
2. Medicus venenis non utitur.
3. Nullum virginitatis certum est signum.
4. Goethianum illud:

> Der Geist der Medicin ist kurz zu fassen,
> Man durchstudirt die gross' und kleine Welt,
> Um es am Ende gehn zu lassen,
> Wie's Gott gefällt.

in honorem artis nostrae est vertendum.